



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Studium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

Undecimum. Serviens praelato, ut ei beneficium conferat quis, simoniam committit, *cap. cum esset, & ibi gl. in verb. promiserat, hoc tu. Covar. lib. 1. ca. 20. n. 3. var. reso. Navar. c. 23. n. 100. notab. 5.* quod debet intelligi, quando principaliter, secus, si ob personæ dignitatem, ob stipendium, vel pro victu quotidiano, & minus principaliter, spe consequendi ab eo beneficium ecclesiasticum, similiter praelatus, si ei illud conferret, ut ab obligatione civili, legali, naturali, vel antidotali eximeret, *Cova. ibi, n. 4. ver. scribit, Nav. ibi, n. 106. not. 4. Gerar. sing. 27. Doct. in l. 2. de dom. Capyc. dec. 42. Tiraq. in præmio, de utroque retra. n. 77. idem de mutuante, c. consulisti, de usur. Nav. cap. 17. n. 209. Covar. ibi. ver. 3. idem de serviente alicui Ecclesiæ in divinis officiis, Covar. ibi ver. 4. Navar. cap. 23. n. 100. not. 5. & de Hor. Can. cap. 18. gl. in cap. unico, de cler. non resid. lib. 6.*

Duodecimum. An conferre beneficium alicui, cum onere legendi sacram Scripturam, vel sacram Theologiam, vel docendi clericos in Seminario, sit simonia? Respondetur, quod non, ut notat Caputaq. decis. 132. & Innoc. in c. significasti, de elect. Paris. cons. 30. n. 13. volum. 4. hoc tamen intellige. Primò, quando illud beneficium vacavit in mensē Ordinarii qui illud contulit cum illo onere, secus quando in mensibus Papæ, Caputaq. decis. 277 p. 2. Secundò, quando illud onus fuit impositum illi beneficio, antequam conferretur, vel alicui beneficio unito alteri, secus si non habebat priùs illud onus, & nunc Episcopus vellet illud ei imponere, & conferre

cum onere legendi, quia esset simonia *gl. & Doct. in cap. 2. de elect. lib. 6. Ant. in c. pen. col. 1. ver. ad secundum, de elect. Caputa decis. 250. par. 2.*

Decimum tertium. An pro administratione Sacramentorum possit conferri canonica portio? Respondetur quod sic, *Innoc. in c. relatum, n. 3. ver. item nota quod sicut, de sepulc.*

Decimum quartum. Differentia est inter simoniam realem, & conventionalem, quia quando proceditur ad privationem beneficii, requiritur realis, quando ad inhabilitandum aliquem ad beneficia obtinenda in futurum, sufficit conventionalis, *in c. sicut, l. 2. de simonia, Caputaq. in dec. 241. part. 3. & dec. 348. cetera vide in Additionibus majoribus.*

STUDIUM.

SUMMARIUM.

- 1 *Studium ut possit adire beneficalis, an requiratur licentia ordinarii, & an percipiat fructus, & distributiones quotidianas, & an gaudeat privilegio fori, si est in minoribus constitutus.*
- 2 *Studium quâ aetate debeat beneficalis adire.*
- 3 *Quod tempus in studio possit impendere.*
- 4 *In qua loco studere debeat.*
- 5 *Quibus disciplinis debeat insudare.*
- 6 *Quor possint simul de una Ecclesia adire studia.*
- 7 *An licentia sit danda omnibus beneficalis indifferenter.*
- 8 *Licentia cuius formâ debeat esse.*
- 9 *Quæ sint studiorum privilegia.*

Primò

PRIMò, studia literarum quantum profint Reipublicæ Christianæ, & Ecclesiæ Dei, satis superque patet ex multis privilegiis, titulis, & prærogativis, quibus decorantur studentes, in *capitulo super specula, de magistr.* ubi assumuntur stellis lucentibus in firmamento, fumentem dicitur Danielis, *cap. 12.* & in *c. de quibusdam, 37. dist.* & Imperatores, in *Auth. habita, ne fil. pro patre.* & in *proemio Instit. S. summo-iteaque.* & in *ca. 1. de privil. lib. 6. cap. cum ex eo, de elect. lib. 6.* & ibi Gloss. & Gem. & communiter omnes, & Conc. Trid. *sess. 5. c. 1. juxta finem, de reform.* Ideo in hac materia præmitto. PRIMò, an requiratur licentia Ordinarii, ut beneficiatus possit adire studia, & gaudere privilegio, de percipiendis fructibus beneficii, seu distributionibus quotidianis, & ut gaudeat privilegio fori, si non est beneficiatus, & in minoribus constitutus. SECUNDò, quæ habitus ætatis. TERTIò, tempus, quo in studio stare potest. QUARTò, locus, ubi studere debeat. QUINTò, quibus disciplinis debeat insudare. SEXTò, quot possint simul de una Ecclesia adire studia. SEPTIMò, an licentia sit danda omnibus beneficiatis indifferenter. OCTAVò, qua forma est danda. NONDò, quæ sint privilegia studiorum.

Ad primum. Navar. *cap. 25. num. 121,* notab. 2. per *cap. finali, de magistr.* dicit clericum beneficiatum posse adire studia sine licentia prælati, ratio sua est, quia eam jus commune concedit, idem Sylvest. in *ver. residentia, §. ult. ver. 3. Asten. lib. 6. tit. 3. 4. quest. 6.* tamen quicquid sit, hodie requiritur licentia proprii præla-

ti, & sic decrevit Pius IV. in sua Bulla, quæ fuit publicata die 24. Novembris, 1554. Selva *tract. de benef. 4. parte, q. 7. nu. 29. v. 171.* ubi dicit, non sufficere licentiam petere, sed obtinere, & si superior sine causa contradiceret, posset haberi recursus ad superiorem, ut eum compellat dare illi licentiam, Anchar. in *c. cum diversis, nu. 5. de privil. lib. 6. Abb. in c. relatum. numero 1. de cler. non resid.* idem Boer. *decif. 17. numero 3.* & debent examinari, & approbati ab Ordinario, & videri, an sint habiles ad studia capessenda, alias non possent percipere fructus beneficii in absentia; si verò non sunt beneficiati, nec in factis, sed tantum in minoribus, non gauderent privilegio fori. *lac. Con. Trid. sess. 23. c. 6. de refor. & dixi superius in ver. Clericus, §. 2.* si verò esset in factis, possent puniri arbitrio Ordinarii, *ea. sess. cap. 13.* ratione inobedienciæ, *argum. cap. licet, de regul. Asten. lib. 6. tit. 3. 4. quest. 6.* Sed posset dubitari, quis Ordinarius possit dare hanc dimissoriam, vel licentiam, cum quis possit habere tres Ordinarios, prout in *ca. cum nullus. de temp. ordin. lib. 6.* Respondetur, quod ille in cujus diocesi est beneficium, ratione cujus ille dispensatur ad studium, & percipit fructus in absentia, ita Gl. notabiliter in *d. c. cum ex eo, in ver. subjectas, de elect. lib. 6. & Gem. ibi. notab. 4. & ver. in ea glossa, ibi si Bononiensis.* imò ille dat hanc dimissionem, qui habet subjectam rem ratione rei, non ratione personæ subjectæ, & sic, si Episcopus habet illam Ecclesiam in aliena civitate, ipse dabit dimissoriam, qui habet illam Ecclesiam

subjectam, vel uterque, sed si est beneficium simplex, ille dabit qui habet beneficium illud simplex subjectum; quod nota, & potest esse ratio diversitatis, quia in primo casu adest cura animarum, quæ pertinet ad Episcopum loci, ubi situm est beneficium curatum, in secundo vero casu non.

Ad secundum, fac. Congr. declarat. 341. censuit, quod si fuerit major triginta annorum, non datur ei licentia, nisi jam studium incepisset, & adhuc illud non absolvisset: & ratio est, quia vulgare est proverbium illud, *chi à li 20. non sa, & à li 40. non hà, del. resto poca speranza ci ha, c. fin. cit.* dicit ut desinantur alioqui docibiles. Facit quod notat Gl. in c. cum ex eo. in ver. *literarum*, ubi dicit, *Caveant Episcopi ne dispensent cum his qui dociles non sunt.*

Ad tertium respondetur, quod gl. & text. in c. cum eo, in ver. *septennium*, dicit, posse dari licentiam per septennium, c. *super specula in ver. docentes*, dicit quinquennium, idem confirmat Navar. c. 25. n. 121. notab. 2. fac. Congr. loc. cit. §. 3. etiam loquitur de quinquennio. Idem Selva loc. cit. sed licet tempus quinquennii videbatur sufficere studio legum, §. *sed quia solùm: in proem. ff.* tamen sacræ Theologiæ non minus opus est septennium, ad hoc ut triennium in Philosophia, & quadriennium in Theologia consumatur, ideo Conc. Later. sub Leone X. sess. 8. §. *statuimus*, voluit ampliare tempus, ut quinquennio in Philosophia, & eodem in Theologia posset fieri studens; & Conc. Trid. loc. cit. nullam de tempore mentionem facit, & Pius IV.

Bulla cit. dicit usque ad quinquennium, vel aliud tempus, nec obstat declarat. fac. Cong. quia loquitur de coarctatis Ecclesiæ parochiali, & sic Ord. poterit arbitrari tempus in lege, & Theologia determinatum, tamen declarat. 46. dicit solum quinquennium dandum esse his, qui habent Canonicatum, sed loquitur de studio juris. Gem. ibi, *versic. quinti anni*, dat rationem de septennio, & octennio.

Ad quartum, quia propter malos mores inventæ sunt leges, inquit Plato, & inventa lege invenitur fraus, ne privilegia indulta propter Ecclesiæ utilitatem in segnitiam, & perniciem personarum committantur, jure optimo decrevit Ion. III. in cap. *in a. de cler. non resid.* quod nisi studeant in studiis generalibus, non gaudent privilegio recipiendi fructus beneficiorum in absentia, & gl. in ver. *ad villas*, dicit studere oportere in regni civitatibus. Et in proemio Digestorum, Et gl. in proem. Decret. in ver. *Bononia*, Et in gl. generali, §. *i. de Episc. & cler. Barto. in l. fin. ff. de collat. & plenius in d. Auth. debita*, & sic debent studere Neapoli, Romæ, vel Bonon. Salmantiæ, Parisiis, Salerni, & in aliis civitatibus, ubi vigent studia generalia, & hoc, ut possint gaudere prædictis privilegiis, quia Con. dicit publicè in scholis, in villis & castris, potius private dici potest, & Bulla Pii IV. dicit, ubi viget studium generale, & fac. Congr. loc. cit. §. 1. dicit, in famosa Vniversitate, & *Anch. ubi sup. n. 4.* nec qui manent in studiis generalibus, & non studeant, licet intrent scholas. Idem Gl. citata in d. c. cum ex eo, in ver. *lit. in fine.* A.

Ad quintum, *c. super specula, cit.* loquitur solum de sac. Theol. Conc. Later. ubi sup. de Philosophia, Poesia, Grammatica, Dialectica, & jure Canonico, Arch. in cap. 2. de privil. lib. 6. & ipse text. dicit de jure Canonico, & Civili, & ita exponit gloss. in ver. videlicet. & Gomez. de expect. num. 51. de utroque jure intelligit, quia utrumque jus est maxime Ecclesie Dei, & Reipublice Christiane necessarium, cap. 1. de consang. & affin. Melchior Can. de locis Theol. l. c. 8. 6. & Navar. in Manuali. de orat. cap. 18. numero 58. D. Anton. 3. p. tit. 21. cap. 2. §. 6. & c. ut com. de heret. lib. 6. & Panga in com. 126. in 3. part. Direct. Inquisi. & melius in comm. 126. quibus in locis probatur, quantum sit necessarium jus canonicum, & civile: nam parus Theologus, aut parum, aut nihil potest prodesse practice ecclesiastice, nisi in concionando, & disputando, sed in gubernio animarum plus satis requiritur, Gom. in c. 2. de Constit. lib. 6. nu. 32. & infra, & Canus loc. cit. Facit quod dicit gl. in c. cum ex eo, in ver. literarum, de elect. lib. 6.

Primum dubium est, studentibus juri civili, & Medicinæ, sive Physicæ, nam in c. super specula, & c. non magnopere, ne cler. ve. mon. & c. loquitur de religiosis, & de clericis sæcularibus & includit (religiosis exclusis) quatuor genera personarum, presbyteros, sacerdotes, clericos, etiam in minoribus ordinibus constitutos, modo habeant vel dignitatem, vel personatam, vel parochialem, his omnibus prohibitum est audire jus civile, & physicam, sub pœna excommunicationis, & irregularitatis, ex quo oriun-

tur hæc dubia. Primum, an liceat ista audire domi. Secundum, an minus principaliter. Tertium, an includantur commendatarii. Quartum, an omnes habentes parochias quascunque. Quintum, an durante bimestri indulto ab ipso Capitulo, saltem peccent mortaliter, audiendo jus civile, vel physicam, id est, medicinam.

Ad primum, Cajet. in ver. excommunicatio, cap. 50. Navar. cap. 27. nu. 116. Sylvest. in ver. excommunicatio 6. nu. 22. & excommunicatione 6. ex linn. & communi tenet, quod non liceat dictis personis, etiam si non exirent à suis tectis, neque in domibus, tamen Abb. in d. c. num. 13. & 14. dicit, quod permittitur, si audiant in domibus suis, ego tenerem hanc secundam opinionem, quam vidi quasi sic practicari à doctis & piis viris, & quia intentio Papæ ibi est, ut dilatetur studium Theologiæ, & ne personæ ecclesiasticæ ingerantur anfractibus judicialibus, ut patet in Soto tit. de postulan. & ne vagentur per scholas juris civilis, ubi interdum pravi mores ediscuntur, sed audiendo domi privatè, cessant ista, & c. ergo, & c. Vide Anchar. in c. statutum, n. 3. ne cler. vel mon. lib. 6.

Ad secundum, Gom. in q. 3. in fi. de non toll. jur. quasi. ex mente Abb. in cap. non magno, col. 3. ne cler. vel mon. dicit, licere monachos, & prædictas personas studere juri civili, si prius addiscant jus canonicum, & ad illius juris intelligentiam postea legibus studere, quia ex quo hoc pervenit secundario, & per occasionem, & non principaliter, prohibitio non extenditur ad hunc casum, & hoc

Ggg 3 videtur

videatur confirmari à Sylvest. *loc. cit.* Facit quod notat Iason in *l. i. n. 16. vers. pone postea, de sacrosanct. Eccl. &* dicitur in *3. p. in ver. testamentum.*

Ad tertium, hoc tetigit in *ver. beneficium, vers. 2. §. commenda,* ubi ex multis locis conclusi, quod hodie cum isti commendatarii sint perpetui, & faciant fructus suos, & in quibusdam locis utuntur baculo, & mitra, & consequenter in dignitate positi, dico, quod comprehenduntur sub d. c. & sic fuit à Papa, Greg. XIII. dispensatum cum quodam Commendatario, qui audierat leges civiles absque licentia Papæ, & si dices, in pœnalibus non debet fieri extensio, respondetur, quod sic, quando sumus in identitate rationis, prout dixi in *ver. extenso,* sed eadem ratio est in Abbatibus & Commendatariis hodie, nisi sola consecratione seclusa, & hoc clarissime probat Gem. in *quæst. 5. de trien. poss.* ubi probat Commendatarios perpetuos hodiernos vocari posse prælatos, habere titulum, facere fructus suos, eorum obitum causare vacantiam, quod non erat in Commendatariis antiquis, qui solum assimilabantur conservatoribus, & depositariis.

Ad quartum, patet responsio ex declaratione Bonifacii VIII. in *cap. i. ne clerici, vel mon. lib. 6.* ubi Plebania illa intelligitur, quæ est parochia, habens sub se capellas, in quibus instituuntur Clerici perpetui: & hoc idem confirmat Cajet. in *ver. excom. c. 50. &* Diaz. in *Pract. crim. Can. c. 54.* Sylvest. in *ven. excom. quæst. 9. n. 22. excom. 6. &* vide in *ver. beneficium, §. 4. dicto 4. dub. primo,* nec suf-

fici cura animarum solum, *gl. in d. c. fin. in Additione, &* in *d. c. primo,* nisi saltem habeat unam capellam, in qua instituitur Clericus.

Ad quintum, quibusdam visum est, peccare durante bimestri, quia intentio Papæ est prohibere, à die notitiæ illius decretalis, ut dicit Sylvest. *loc. cit. num. 23. vers. c.* tamen oppositum est verius, Primò, quia idem Sylvest. *ibidem* ex mente Inn. & Batrii dicit, non peccare eos, si hoc faciunt ad melius intelligendum Canones. Secundò, quia bimestre permittitur à lege, & quicquid sit jure permittente, pœnam non meretur, *cap. qui peccat, 23. q. 4.* similiter dicitur de beneficio ad Horas Canonicas recitandas obligato, prout dixi in *ver. Hora Canonica, §. 2. &* in *ver. Ben. §. 5.*

Ad sextum principale, quia æmulatione sæpe urget, & utinam illa, de qua D. Paul. i. Corinthiis. *Æmulor enim vos Dei æmulatione,* possent dicere Clerici, seu Canonici, nos volumus ire omnes ad studium, sed ad hoc providerunt facti Canones, *c. ad audientiam, de cler. non resid. &* *ibi gl. in ver. duo,* & ne videatur mirum, cum ille text. loquatur de servitio Episcopi, & non de volentibus studere, quia sic intelligit illum Selva *tract. de benef. 4. p. 9. 6. nu. 11.* quod confirmat ex aliis Doct. & Hostiens. & putat hunc numerum studentium arbitrium esse, ita ut potius utamur arbitrio in restringendo quam in relaxando, *argum. c. ex primo, de decim. &* *c. ex parte, de cens. bene* verum est, quod animadvertendum est ad qualitatem Ecclesiæ, si multum diminuetur de servitio, vel parum, nec omnibus

omnibus ire volentibus laxandæ sunt habentæ, sed dignis, bonæ inolis, & docibilibus duntaxat, ut dixi *superius*, & dicam *in ver. seminarium*, §. 2.

Ad septimum, licet habentibus Ecclesias Parochiales ante Concilium, & post, potuerit dari dicta licentia, cum quibusdam conditionibus, de quibus *infra*, tamen hodie nulla posset dari, seu concedi, ita censuit sac. Congre. *loco cit. §. quæ omnia*. Idem decretum fuit in Concilio Provin. Beneventano, *in tit. de resid. cap. 4.* dubium est, an propter hanc Declarationem sac. Congre. sit ablata auctoritas Ordinariis dandi huiusmodi licentiam, cum eis competat de jure communi, *cum ex eo, de elect. lib. 6. Nav. cap. 25. num. 118. Selva 3. p. quæst. 42. in ult. Sylvest. in ver. beneficium, 3. n. 5. §. 2. Stap. de lit. grat. fol. 129. a. num. 7. & infra*, & Conc. Trid. *sess. 7. c. 12. de refor.* ad hoc responderetur dubium esse magnum eò vel magis, quia ibidem sac. Congre. *in §. insuper* dicit, ut deinceps admoneatur Illustr. Dominus Pœnitentiarius, ut ab iis licentiis concedendis vel absteineat, vel prævia informatione ipsemet concedat præsentibus in Curia, & non per officiales suos, extra verò Curiam cum conditionibus prout *inferius*. Ad hoc posset dici primò, quod hoc valet, quando huiusmodi licentiæ peterentur Romæ, vel à sum. Pont. vel ab Illustrissimo Pœnitentiario, ut patet per Gom. *tract. de Brevib. à n. 10. & infra*. sed non propter hoc aufertur locorum Ordinariis, ut licentiam huiusmodi possint concedere, sed quid responderetur ad illa verba quæ dicit ead. sac. Congre. *ibidem*, *in §.*

quæ omnia, in fine ubi dicit, quoad parochiales impetratas post confirmationem Concilii nulla licentia danda erit, ut aliàs etiam conclusum fuit, non posset dici, quod loquatur de prorogatione ultra tempus, de quo loquitur jus commune, in quo non potest Episcopus dispensare, ut notat Gom. *loco citato*, quia sac. Congre. *loco cit. §. 3.* loquitur de quinquennio, responderetur secundò, rem certè esse dubiam (sub omni correctione,) dicam, quod loquitur quando petitur in urbe, & dat in instructiones observandas, in concedendis huiusmodi licentiis, quibus etiam uti debeant locorum Or. quando eas vellent concedere, ad quas parcissimè se debent habere, ista patent per prædicta *superius*, nam secus essent correctæ jura antiqua, & esset contra Bullam Pii IV. & Nav. hoc animadvertisset, qui fuit post Concilium, loquens de discessu curatorum, *sess. 23. c. 1. de refor.* dum assignat causas absentia, nullam mentionem faciens de studio, & extendit ad omnia beneficia requirentia residentiam. Idem sac. Congre. *sess. 6. c. 2. de refor. & Abb. in repet. §. qui verò, c. extirpanda, nu. 33. de præb.* dicit clericum posse percipere fructus beneficii curati in absentia causa studiorum, quia servit Ecclesiæ universali, prout *in d. c. cum ex eo*, & ibi Gem. *notab. 2.* imò Gem. *ibi, vers. quæro an id*, extendit textum illum etiam ad Vicarios perpetuos Ecclesiæ parochialis, & citat Gloss. *in Clem. unica, de offic. vicar. in sexta Glossa.* & Ioan. Andr. & Glossa dicunt illud. *in ver. Sacerdotium*. Quæritur hic primò, an possit Episcopus revocare hanc dimissoriam, vel

vel etiam dispensationem ratione studii? Respondetur, quod sic, stante causa legitima, & quia cessat causa, propter quam fuit dispensatum, & concessa dimissoria, ita Gemin. loco cit. vers. *qua auzero dicatur*, ex mente Glossæ, & Ioan. And. Quæritur secundò, à quo tempore incipit currere septennium, vel quinquennium? Respondetur communiter à die dispensationis. Ratio assignatur à Gloss. & Gemin. loco cit. vers. *in fine Glossæ, quod autem*. Quæritur tertio, an sit necessaria dispensatio non solum ratione studii, sed etiam ratione absentia? Respondetur, quod utraque quando beneficium est in loco studii, puta Neapoli, vel Bononiæ, sed quando dispensatio fit extrà, tunc censetur dispensatum in utroque, hinc malè faciunt, qui habent beneficium in loco ubi viget studium non inserviando Ecclesiæ, saltem quando possunt vacare utrique, Gemin. loc. cit. vers. *Et per rationem Gloss.* Quæritur quartò, ne lapsò septennio habeat annum integrum ad promovendum presbyteratum? Respondetur, quod sic, & sic septennium debet esse utile, Gemin. loco cit. §. *elapso, vers. sic quæro an.*

Ad octavum. Si quando concedendæ essent (loquendo de habentibus Ecclesias parochiales, vel requirentes personalem residentiam, nam de aliis non est opus tanta indagine) his circumstantiis concedendæ solent. Prima ut personaliter se præsentent coram Ordinario, ut ex aspectu, & brevi examine videant, an in fraudem id petatur. Secunda, ut exponerent conscientiam suam,

ad hoc, ut debeat verè actuque operam dare studio sacrae Theologiæ, vel factorum canonum in famosa universitate, aliàs non faceret fructus suos in absentia; & istæ duæ conditiones deserviunt pro non curatis etiam, & non obligatis ad residentiam. Tertia, ætas, ut dixi superius ad secundum. Quarta, solum ad quinquennium. Quinta, ut interim cura animarum, vel servitium Ecclesiæ per idoneum Vicarium ab Ordinario eligendum bene gubernetur. Hæc sac. Congr. ubi supra.

Ad nonum, vide in ver. privilegium, §. 12. in novis Additionibus.

SOLUTIO.

PRIMò, Clericus an teneatur solvere, si non est solvendo, & ob id carcerari, cedere ve bonis, vide c. Odoardus, de solut.

Secundò, an hoc locum habeat in solutione pensionis, vel in condemnatione per tres sententias conformes, vide Gom. tract. utriusq. signat. fol. 92. col. 1. & Covar. pract. quæst. c. 25. n. 7. ver. 13. §. lib. 2. c. 1. n. 7. par. 2. sol.

Tertio, an hoc habeat locum in pena filci, & actione injuriarum, & debitis creditorum, ipsis in vitis, vide Innoc. in d. c. Odoardus,

Quartò, hoc solum habet locum in Clericis servientibus Ecclesiis, vel in sacris constitutis, Covar. loc. cit. num. 9. vers. sed §. quoad ea, prout dixi in ver. Clericus, §. 2. 3. 4. §. 5.